



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum in eadem infirmitate debeat itarari? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

334

*Vtrum in eadem infirmitate debeat iterari?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod in eadem infirmitate non debeat iterari. Quia vni morbo non debetur nisi vna medicina. Sed hoc sacramentum est quædam spiritualis medicina. Ergo contra vnum morbum non debet iterari.

¶ 2 Præterea, Secundum hoc posset aliquis infirmus tota die inungi, si in eodem morbo posset iterari vñctio; quod est absurdum.

SED contra est, quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem; & sic reliquæ peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur. Ergo debet iterari.

RESPONDEO dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam enim infirmitates non sunt diurnæ: vnde si in eis datur hoc sacramentum, si homo ad statum illum perueniat, quod fit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitas curata; & ita non debet iterum inungi: sed si reciduum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægrotudines diurnæ, vt hectica, hydropisis, & huiusmodi; & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur pericere ad periculum mortis: & si homo illum articulum euadat eadem infirmitate durante, & iterum ad firmum statum per illam ægrotudinem reducat, iterum potest inungi: quia iam quasi est alius infirmitatis status, quamuis non sit alia infirmitas simpliciter.

¶ Et per hoc patet solutio ad obiecta.

QVÆST. XXXIV.

*De Sacramento ordinis, quo ad eius essentiam, & eius partes, in quinque articulos diuisa.*

**P**ost hæc considerandum est de sacramento ordinis. Et primo, de ordine in communi. Secundum de